

CASPARVS BRVSCHIVS POETA LAVREATVS.



Casparus, patria Gandauus, à teneris annis operam literis dedit, & prima literarum fundamenta feliciter iecit. postea sese hinc inde ad academias contulit, & liberalibus artibus diligenter incubuit. In primis uero Poëticen didicit, & naturali impetu in ea scientia tantopere profecit, ut ex tempore plurimos uersus conderet, Lauream à Cæsare impetraret, & optimis Poëtis similis esset. Itaque uaria Poëmata conscripsit, atque posteritati ingenij sui uim declarauit. Cum etiam Historiarum lectio ne plurimum delectaretur, Germaniam suis lucubrationibus illustrauit, atque uarios monachorum ordines, & antiquitus fundata monasteria celebravit, & 1551 Ingolstadtij edidit. Idem uero cum etiam in Germaniae Episcopatibus tentaret, atque hinc inde magnis laboribus peregrinationes longinquiores suscepisset, ex insperato maleuolorum insidijs interceptus occubuit, magna re literariæ iactuta. Anon.